



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Peste vrbem ingressa, quid Carolus, alijque prouidere coeperint. cap. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

DE
VITA ET REBUS GESTIS,
CAROLI CARD.
S. PRAXEDIS,
ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI.

Liber Quartus.

Feste vrbe
ingressa, qd
Carolus, a-
lijq; prou-
dere coepe-
rint.
Caput I.



MULTOS iam men-
ses pestilentiae fa-
ma prouincia Me-
diolanensem cum
peragraret: Mar-
tio mense anni ip-
sius M. D. LXXVI.
ad vicum quendam prope Aronam
demum ipsa peruenit. eò statim missi
qui consulerent: vrbs custodita: ex-
teri sine testimonio non admissi. At
cum placitum est Deo; eam propius
accedere; vrbeque ingredi; siue ad
multorum peccata vindicanda; si-
ue ad exercendam, aut vero remune-
randam bonorum virtutem; siue ad
illustrandam charitatem, vigilantiam-
que Sacerdotis sui: aditum facile per
omnes custodias inuenit. Mense igitur
Iulio extremo, religiosissimis ex-
ercitationibus illis, supplicationibus
que peractis; in ipsa vrbe deprehen-
sa pestilentia est. Tum Magistratus; il-
le praesertim, qui publicae sanitati pre-
est; maiorem diligentiam adhibere;
custodiam augere; aditus non modo
in vrbe, sed etiam in prouinciam di-
ligentius obseruare. at malum mana-
bat in dies; & dum illi vel aliud esse
morbi genus demonstrare, vel secre-
tum habere omni ratione conaren-
tur; magis ac magis sese prodebat, la-
tiusque fundebatur. multi, affecta-
iam prope aestate, nihil, in proximis
mensibus, totamque hyemen timendū

affirmabant. Carolus autem, tamquā
in specula collocatus, imminentem
tristissimi temporis tempestatem, &
si sic expediret, a suis enixe depreca-
batur, & multis tamen praedicebat;
nam & satis multas cernebat plaga-
rum, grauesq; causas: & Praefectos
videbat, aliorumq; rectores de hu-
manis remedijs valde sollicitos, diui-
na ipsa, quibus potissimum spes ho-
minis christiani niti debet, minime
quaerere, vt oportebat: immo ipsa
quoque humanae diligentiae officia
minus integre, perfecteque praestare,
sed quasi stupore quodam oppressos
rei nouitate teneri, atque haesitare.
id ille maxime calamitatis breui fu-
turae indicium sibi videri dicebat. Ea
de causa statuit Brixiae visitationem
eo anno ommittere: immo ab vrbe pe-
nitus non discedere, donec rei exi-
tum aliquem videret. tantum ea per-
ficienda diligenter in vrbe curauit,
quae Salaminae Episcopus per eccle-
sias facienda decreuerat. qua in re,
quot ita esset ceteris eius occupatio-
nibus commodius; consumebat me-
ridianum tempus: & maximos calo-
res contemnens, vrbe ecclesias quo-
tidie singillatim adibat. iam pedibus
instituerat ire: neq; id in vrbe solū;
sed in agro etiā, dū itinere breui sin-
gulos vicos obiret: quamquā hoc nō
tenuit semper, q̄ nimis incommodū,
laboriosūq; suis esse videret, ca-
tio-

tionē iter facere. Publicæ supplica-
 ciones postea tamen diuinæ iræ pla-
 canda gratia, ter ad consuetas eccle-
 sias de more habitæ sunt. quarū cau-
 sa cum Carolus, Gubernatore, Sena-
 tu, aliisque magistratibus præsentibus,
 cōcionem haberet ad populum; obla-
 ta occasione reprehendit eos, quod
 tam sero ea quæ essent, quæ certissima
 sunt humanorum malorum remedia;
 cum alioqui tam vehementer suæ cu-
 stodiæ confidissent; & eius causâ pios
 illos conuentus præpropere festina-
 tione prohibuissent. Sed illud quo-
 que obiecit, dum causas diuinæ casti-
 gationis percenteret, quod piarum
 societatum optimæ exercitationes iam
 diu sine causa impeditæ, adhuc eodē
 statu tenerentur. quæ res magnam ho-
 minum multitudinem a salutaribus re-
 bus auerterat, quæ ad Deum placan-
 dum plurimum valerent; ut ad volu-
 ptates, vitiaque conuerteretur, quæ
 diuinis prouocare animaduersiones.
 Manabat autem iam latius pesti-
 lentia; grauiusque suburbium, quod
 est ad Comensem portam affligere ce-
 perat: & in ipsa quoque vrbe multas
 inuaserat domos. Cæpius est ad orien-
 tis portam extra mœnia latissimus, &
 in quadrum redactus. ædificia circum-
 extructa, ad eos qui tali morbo labo-
 rant separatim recipiendos, locis quæ
 plurimis distincta sunt: & flauialis
 aquæ riuo cinguntur. in medio cam-
 po sacellum Sancto Gregorio dicatū;
 quo nomine locus ipse solet appella-
 ri. Qui rebus eiusmodi curandis præ-
 fectiones erant, recte quidem suspecta va-
 letudine homines, aut suis ædibus in-
 clusos esse; aut extractos, per homi-
 nes mercede conductos, in sancti Gre-
 gorij locum deduci iubebat. Sed nec
 dum vlla pene ratio inita erat, qua
 vel ad curationem ægrotorum, vel ad
 pauperum victum, necessaria suppe-
 ditarentur. immo ædificia quoque lon-
 go tempore vacua, ita ab omni habi-
 tationis communitate deserta erant,

Pars III.

ut nihil præter nudos parietes relictū
 esset. itaque non morbo tantum mise-
 ri, qui eo adigebantur; sed fame, aliis-
 que incommodis multis grauius pre-
 mebantur. omnino inter se curari, ia-
 ter se consolatione leniri, eos oportebat;
 & quæ ad vitam necessaria erant,
 a cognatis, si haberent, & miserentur,
 accipere. Sed quod grauissimum
 erat, nulla sacra erant parata; nulla sa-
 crorum hominum consolatio. vbi plu-
 res cognatione coniuncti eodem loco
 simul erant; ut quisque ante alios mo-
 riebatur, ita necesse erat a superstiti-
 bus sepeliri; & qui eiusmodi benefi-
 cium alijs dederat, ipsum paulo post
 ab alijs accipere: auge scete mirum in-
 modum, ex aliorum, præsertim cha-
 rissimorum miseria, extremisque grum-
 nis; propriæ calamitatis dolore. Cum
 hæc ita cœpta essent; neque enim ma-
 gnus adhuc erat numerus; Carolum
 ipsum multi hortabantur, ut aliquo
 secederet. cum autem religiosos, do-
 ctosque viros de se consuleret; quam-
 uis eos laudibus afficerent, qui in eo
 se charitatis officio olim exercuissent;
 non consentiebant tamen, ut vitæ pe-
 riculum adiret ipse. tantū adesset, pro-
 uideret, consuleret, pro rerum euen-
 tu, & necessitate: verum a contactu ca-
 ueret omnino. id quod paterna mise-
 ricordia alienum, & factu difficile vi-
 debatur. nam & quotiescumque domo
 ille exiret; multitudo periculo terri-
 ta, quasi opem implorans, ad eum ut ad
 patrem accurrebat. propius positos ge-
 nibus, vestimenta tangebant, & quib.
 tetigerant, manus osculabantur: quæ
 pietas, cautionis gratia, quomodo po-
 terat cohiberi? Eos igitur sibi agendi
 terminos minime constituendos: sed
 pastoris officia omnia iam sibi suscipien-
 da; & in suorum salutem omni studio
 atque opera esse incumbendum exi-
 stimauit. Quid animo suo; quid in cu-
 biculum suum abditus fecerit; neque
 scimus; & facile tamen ex iis quæ ap-
 paruerunt, assequi possumus cōiectu-

Ff ra.

ra. Ad mortem certe obeundam, perspicue paratus, etiam testamentum fecit, in quo hereditate ad hospitium pauperum Mediolanense delata, multa pie legauit, ecclesie, amicis, & familiaribus. Tum ad gregem suum sine mora conuersus, miseris illis ad Gregorianas aedes derelictis coepit subuenire; & ex domo sua, quae res ad vitam erant necessariae, eas quotidie mittere. tum vero eleemosynas in vrbe, foris, atque adeo extra prouinciam corrogare; a clericis, monachisque qui abundarent, petere; ut illos, alioque per urbem in egestate positos subleuaret. Quamuis autem maxime doleret, suos rebus ad victum necessariis destitui; multo magis tamen angebatur: quod sacra subsidia, extremaque ipse ad salutem subleuationes deessent. Vidi equidem miserima, cum Carolus ad Sancti Gregorij aedes Diaconus secutus sum; quod ille ad egrorum acerbitates certius cognoscedas, accesserat. Cum locum extrinsecus circumiremus; eiulabant illi; & ad fenestras sese proiecentes, calamitates deplorabant suas. alius ex tabe concepta; alius ex propinquo mortuo, animamve in eius conspectu trahente, gemitus edebat sane miserabiles. hic vitae incommoda; ille diuinarum rerum inopiam lamentabatur. Cum ab omni alio subsidio destituti simus, o Pater, clamitabant, tu nobis saltem benedicas. Carolus aegros tunc quidem quantum potuit, humanissime consolatus est: sed domum reuersus, vix e publico se conspectu receperat, cum pariete nixus; magno cum moerore, Vidisti sive, inquit, miserimam illorum conditionem? humanis commodis omnibus spoliati, tristissimis casibus, doloribusque afflicti, ipsa etiam rerum diuinarum ope destituuntur: nec est sacerdos, qui tantos casus miseratus, opem ferre velit. vnum scio; periculo meo eos in discrimine esse: nisi alia ratione Dei clementia subue-

nerit; quid mihi faciendum sit, constitutum habeo. Significauit sine dubio, si alij nollent; suo se ministerio voluisse miseris opitulari. Ac varios ille quidem sacerdotes coepit tentare, si tam misere desertos inuare vellet. vnusque oblatu est; qui confessiones quidem aegrotorum audiret, & sacrosanctam Eucharistiam praeberet; sed vngere tamen rite recusaret. at optimum, diuino spiritu adiutus, consilium coepit. in eam partem dioecesis Mediolanensis misit, quae Heluetiis in profanis parat; indeque non modo presbyterum, qui sacra omnia praeberet, sed alios quoque accersuit, qui operam suam in tali calamitate, mortis metu, posthabito, locarent. gentis enim animi ob colluisionis frequentiam, consuetudinemque firmati ita obduruerunt: ut nihil, aut non magnopere pestilentiae contagium timeant; seque inter se inuisant, eurent, funera prosequantur; cautionesque fere, quasi turpe aliquod, fugiant. Cum ceno bitas deinde aliquos; plurimis enim opus erat ministris; ad id munus inuitasset; alij non omnino recusarunt; alij aperte promiserunt; si suorum praefectorum auctoritas accederet. Non parua erat in parochorum officio difficultas, plerique enim periculum subire recusabant; atque adeo iure cogi se non posse etiam asseuerabant. verum Bernardinus Figinus; commemoranda est enim singularis boni presbyteri virtus; quamquam magna vis morbi magnaque multitudo erat in Comensi porta, qua cura illius continebatur; partes suas ab initio vique misericordiae, fortique animo egit.

Haec ita cum essent; summum Pontificem sibi in primis consulendum Carolus statuit; neque enim adhuc Romae resurabantur litterae Mediolanenses. Quid de parochis agendum esset, per Carthilium consuluit; quidque ipse ex piorum, doctorumque virorum sententia existimaret, expo-

A Pontifice
multa pe-
tirit; ipseque
multa sup-
peditar ad
ciuitatem
iuuandam.
CAP. II.